



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vitae Sanctorvm**

complectens sanctos Mensium, Ivlivm Avgvstvm & Septembrem

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Vita S. Evsepii, Episcopi Vercellensis, ex ea quæ extat in Historijs Vincentij Burgundi Præsulis Beluace[n]sis; quibusda[m] emendatis. Obijt anno ab Incar. Domini 371. Damasi Papæ 5. Valentiniani & ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42728**

quadam detento, cur minus ilicò aduenire posset, obtinuit vir sanctus à Domino exitus sui dilationem, donec demùm voti compos fieret. Post multum siquidem temporis adueniente Episcopo, denuò à febre corripitur, ingressumq; ad se amplexans salutauit, ac inter suauissima verba vltro citroq; habita beatum Deo spiritum tradidit; moxq; cellula gratissimo repleta odore, tota contremuit; Angelica proculdubio presentia ac virtute honorata; quæ gloriosam Eremitæ animam ad cælos transferendam suscipiebat.

VITA S. EVSEBII, EPISCOPI VERCELLENSIS, ex ea qua extat in Historijs Vincentij Burgundi Præsulis Beluacensis; quibusdã emendatis. Obijt anno ab Incar. Domini 371. Damasi Papæ 5. Valentimani & Valentis Imp. 8.

siæ Episcopus circa annum Domini 574 ut patet Tomo 7. Annal. C. Baron. Felicissimè migrat.

Vide C. Baron. Annal. Tom. 3. & 4.

EVSEBIUS olim temporibus Diocletiani & Maximiani adhuc catechumenus, vna cum Matre Restituta nomine, foemina nobile, vidua Christiana, è Sardinia Insula Romanam veniens, Eusebio Pontifici maximo nutriendus traditus est: quem cum idem Pontifex egregiè fide Christiana imbuisset, baptizauit, suoque nomine nuncupauit. Antequam verò puerum lustraret, cælesti est admonitus oraculo, quanta is virtute ac sanctitate in Ecclesia fulgeret. Ferunt etiam in ipso baptismate, angelico ministerio de fonte eum subleuatum fuisse; forte quod excellenti pueri castitate, qua in omni vita admirabilis fuit, purissimi illi spiritus delectarentur. Non enim post acceptã baptismi gratiam virgineum tantum seruauit pudorem, sed

1. August. Eusebius baptizatur Romæ ab Eusebio Papa, & inde nomen habet.

Insignis eius pudicitia.

adeò insigni pudicitia fuit, vt nullã omninò femina, ne quidẽ matrẽ, osculo exceperit vnquã. Cùm aliquãdo nobilis quãdã matrona, ei<sup>9</sup> pudicitudine capta, nocte clãm cubiculũ eius petere vellet, tota nocte errabunda, angelis eã ab aditu cubiculi repellentibus, mane crimen, quod animo conceperat, cõfiteri coacta fuit: atque a genua sancti viri prouoluta veniam petijt.

*Consecratur  
Sacerdos anno  
etatis  
sue 50.*

Intereã Eusebius cunctis fidei virtutibus mirificè adornatus, anno etatis suã quinquagimo fuit à Marco Papa presbyterij honore decoratus; quem ille honorem tanta sanctitate administravit, vt inter Missarum solemnias in manibus eius sacra mysteria visibili specie apparent. Post hoc Iulianus Papa, cernens Christi Ecclesiam Arianorum perfidia vehementius impugnari, eum vrbs Vercellis, quã tunc inter alias Italiae ciuitates principatum obtinebat, anasthetem consecrauit. Quo ciuitatem cum potestate ingresso, Ariani iam ante de illius aduentu certiores facti, cunctarum ecclesiarum fores ita arctè obstruxerant, vt nulli planè in eas introitus quoquò modo pateret. Quorum comperta malitia, vir sanctus ante ostiũ maioris Ecclesie, quã Virgini Matri sacra est, fixis humi genibus preces fudit: & protinùs, eo surgente, fores diuinitus referatæ sunt.

*Fit Episcopus.*

Cùm autem vir diuinus omnes Occidentis prouincias, & Athanasius Orientis ab Arianorum peste indefesso studio purgarent, Constantius Imperator totis viribus contra nitebatur, vt duo illa præclara Ecclesie lumina extingueret, vel certè longissimè à regni sui sinibus propelleret. Neque fuit difficile, Arianis enixè in idipsum

idipsum operam conferentibus, sanctum pro-  
scribere. Cum siquidem postmodum Synodus  
ex instantia Liberij Papæ Mediolani esset con-  
gregata, Constantius Imperator Orthodoxis  
insidias tendens, Arianis fidem literis cõsigna-  
re præcepit, quatenus eandem Orthodoxi vel  
inuiti ratam habere cogentur: & Athanasium  
damnant. Ibi tum Catholicorum quidam A-  
rianorum insidiis in fraudem impulsis, S. viri li-  
cet absentis dånationi (dũmodò in reliquo Ca-  
tholicę fidei in omnib. cõsultũ foret) subscrip-  
sere: inter quos & Dionysius Mediol. Antistes.

Id porrò accidit antequam Eusebius vnà cũ  
Apostolicę sedis legatis ad Concilium se con-  
ferret; quod cũ ipse intellexisset, ægro ad-  
modum animo tulit: sed cum facti iam poeni-  
tentem eum inuenisset, artem quoque excogi-  
tauit, qua eius subscriptio deleri posset. Erat  
Eusebius Dionysio longè ætate maior; adeò vt  
ipse Dionysius filius videri posset: pater namq;  
Eusebius, præ ætate, & sedis, cui præerat, tem-  
poris diuturnitate, ab eodem nominari consue-  
uerat. Requisite igitur cum eò peruenisset Eu-  
sebius, vt exemplo Dionysij ipse damnationem  
Athanasij suo quoque chirographo communi-  
ret: visus est illis annuere, ea tamen lege, si (vt  
decebat) sua subscriptio ante Dionysij, in char-  
ta perspicuè omnibus poneretur: indignum  
planè affirmans, si iunior Episcopus seniori, at-  
que parenti filius in charta, præter Ecclesię mo-  
rem, ab omnibus legeretur prælatus.

Illi autem quibus nihil magis inoptatis erat,  
quam vt fama celebrẽ, toti occidentali orbi cõ-  
spicuũ Eusebiũ in Athanasij ad subscribendum

*Constantius  
Imp. Aria-  
nus insidia-  
tur Catholi-  
cis.*

*Dionysij E-  
piscopi Me-  
diola. lapsus.*

*Liberatur  
Dionysius  
per Eusebiũ  
à sua subscri-  
ptione.*

pellicerent, euestigio ex tabella sententiæ Dionysij nomen expungūt, atq; obliterant penitus vt ne elementum quidem superesset, quo vel existimari potuisset nomen Dionysij ibi vnquam fuisse notatum. Hoc facto, mox Eusebius, omnifictionis larua deposita, subscribere in hominē innocentem & inauditum (diuina id prohibente lege, & aduersantibus Ecclesiasticis atque etiam seculi legibus) nullo pacto se posse testatur est: sicque in hunc modum ab eo delusa est Ariana impietas,

*Eusebium atrociter torquetur ab Arianis.*

Vnde graui indignatione succensus Imperator, Eusebium Arianorum voluntati permisit qui protinus eum ab alijs Episcopis: anulum flagris conciderunt, raptatumque per gradus pallatij à summo vsque ad imum, rursusque ab imò vsq; ad sursum crudeliter diuexarunt. Cumque quassato capite magnam sanguinis vim profudisset, neque tamen de fidei suæ constantia recederet, vincētis post tergum manibus, & fune eius collo iniecto, denudè raptarunt: ac demum multis alijs oneratum iniurijs Sercopolim vrbē Palæstinæ, in tribu Manasse (quæ deindè Scythopolis appellata est, quod Scythæ eam condiderunt) ablegarunt.

*Mittitur in exilium.*

Fuit porrò præsidio eidē Eusebio & alijs ibidem exulantib⁹ Iosephus Comes; qui ex nobili Iudæo factus sub Constantino Magno Christianus, Comitatus dignitate ab eodē ornatus fuerat; quē Arianis sæpè frustra tentarunt, vt ad suas partes allicerēt: cū ille pietatis obseruātissimus custos, tantum abfuit, vt illorū precibus flecteretur, vel minis: quin potius Christiana libertate parui faciens Imperatoris edictū, Dei tantum mandati

mandati memor, exules Confessores Episcopos apud se suscipiens, eosdem summo charitatis studio confoueret. Ipse igitur S. Eusebium hospitatus est: apud quem agentem cum alij plures Orthodoxi eum inuiserent, S. Epiphanius ex Cypro Insula ad illum venit quoque consolabundus.

Verum enim uerò quòd Ariani pollerent Imperatoris auctoritate, haud passi sunt enm apud tantum hospitem commorari. Patrophilus siquidè ueternosus hereticus, Arii quondam socius, homo planè seuerissimus, omniumq; teterrimus, sub cuius erat parætia, à Iosepho diuulsum dire custodiè mæcipauit: indignè enim ferebāt, cū ipse, tū Constantius & cæteri Ariani, ut quem è sua Ecclesia exilio abstraxissent, in Arianorum parætia tanto dignaretur honore; cum hospitio Comitum, tum etiam uisitatione ex diuersis circumcircuita prouincijs insignium fama uirorum. Quæ uerò & quanta sub eodem Ariano Antistite Patrophilo, mutata subindè custodia, passus sit, cōdignè explicare singulatim haud possit: nihil namque intentatum reliquit Ariana impietas, quò tantum Pontificem ad partes suas attraheret, sin minus crudeli demum interuencione deleteret. Liqueat sanè eum ob priora illa supplicia & alia tam in Palæstina quam in alijs plusquam semel mutatis exilij locis inuictò robore perpeffa (quanquam eisdem haud fuerit consummatus) Martyrij titulo dignissimum ab omni antiquitate prædicari. Constat ad longa siquidè tempora superuixisse ac diu multumque pro tuenda fide Catholica laborasse. Constantio namque Imperatore uita functo, Iulianus ad Imperij

*Benignitas  
Iosephi Co-  
mitis in Ca-  
tholicos ex-  
torres.*

*Patrophilus  
Episcopus  
Arianus Eu-  
sebio infe-  
stissimus.*

*Quo pacto  
Eusebius  
martyr cen-  
satur.*

*Redit Ver-  
cellas Epif-  
copus Euse-  
bius.*

*Claret mira-  
culis post o-  
bitum.*

*Vide 2 Tom.  
Annal. C. 3,  
Baronij.*

*1. August.  
Patria eius.  
In Hispanijs  
Christi præ-  
dicat.*

gubernacula vocatus fuit; qui ut gratiam ac po-  
puli totius benevolentiam captaret, Imperij sui  
initio, damnatos exilio Orthodoxos reuocauit,  
& liberam cuique cuiusvis religionis potesta-  
tem fecit. Iuliano verò quoque defuncto, Ioué-  
nianus ita imperium administrauit, ut sopitis  
Arianis, Eusebius Vercellas rediret, ac summa  
populi exultatione cathedram reciperet. Quod  
autem ad lucubrations eius spectat, cum Grae-  
carum lit. æquò ac Latinarum fuerit callentissi-  
mus, haud otiosus absque scriptione vitam ex-  
gisse creditur: quãquam de illis nulla sit memo-  
ria, & excidisse putentur. Quanta verò miracu-  
lorum effuserit post obitum gloria, adeò ut o-  
leo lampadum, in Ecclesia ipsius ex more ardè-  
tium, dæmones ab energumenis pellerentur, vi-  
de Gregorium Turonensem lib. de Glor. Con-  
fess. cap. 3.

*MARTYRIVM S. FELICIS APVD GE-  
rundam: ex Adone Treur. Archiepiscopo. Coro-  
natus est Anno Christi Saluatoris 303. Marcelli  
Pape 7. Diocletia: & Maximi: 20.*

**S** Felix Scillitana ciuitate oriündus, pietate,  
religione, & præcipuo martyrij ardore  
incensus, cū in Hispanijs Christianū nomē  
vehemēti persecutione oppugnari intellexisset,  
ocius cōscensa mercatorum nauis, intrepidè ac-  
currit, ac diuini verbi semina ubique spargens,  
fidelium pectora nouo fidei calore contra vim  
tempestatis excitauit. Cumque aliquamdiu ap-  
ud Barcinonam, Empurias, & Gerundam, spar-  
sio Euangelij lato, plurimos in fide cōfirmasset,  
fama eius longè lateque increbrescente, iubete  
Dacia-

Daciano  
Ille verò  
aspirare  
confessio-  
tia perm-  
deret.  
carceris  
ligatis,  
destitu-  
grauiori-  
pica ab i-  
sta disce-  
Deinde  
uistatus  
ad certa-  
tus, ab h-  
capite su-  
mansit; E-  
nocte &  
tu mirifi-  
fuisse R-  
manibu-  
vincula  
tus obse-  
perueni-  
gulis de-  
tamdiu  
que dur-  
Cor